DAVIDIS MONOMACHI

LIBER PRIMVS.

PAstoris pueri, generosam dicere pugnam
Fert animus stirpem qui defensurus Iâcob,
Ire giganteæ non horruit obuius hastæ.
Tu, qui tàm valido puerilē robore dextram
Dignatus munire tuo, dignare fauore
Qualiacunque cano, & cœptis Deus annue dexter.
Saulus, vbi ætherei spernans mandata parentis,
Regem Amalec, cæso populo, seruasset Agagum, Reg. l. 1. cc. 15. & 16.
Commißiq; sui, furijs vltricibus actus,
Supplicium lueret; Gens Philistæa tot annos
Nequicquàm Abramidas igni, ferroq; lacessens,
Iam venisse diem, quâ verso ad prospera fato,
Acceptas toties clades, passosq; labores,
Fas foret vlcisci, reputans horrentia rursus
Arma capit, Goliamque immani corpore monstrum
Ductorem sequitur; monstrum, cui viribus impar
Enceladi cedat robur, quod cælifer Atlas,
Quod Typhon, Siculoq; tremat Polyphemus in antro.

Vix benè Iudæi primas in limitis oras
Irruerat, crudele fremens manus effera bellum,
Cum ſubitò (qualis plenum leo nactus ouile)
Quidquid in occurſu eſt ſternit, funditq̃, fugatq̃,
Barbaricíſque animis totas immittit habenas;
Non tremulis ſenibus, non vitæ parcit anili,
Ferrea non raptis matrum de pectore natis.
Ac veluti torrens pluuijs hiemalibus auctus,
Aut niuibus tumidus liquefactis, mole remotâ
Per ſata perq̃ vias fertur: ſic impete cæci,
Quò rapit ira, ruit miſereſcere neſcius hoſtis,
Ferro cuncta metens: riuos manare cruentos,
Aruaque corporibus cernas cumulata peremptis.
Nec iactis facibus ſæuit minus: ignea paſſim
Tecta vorant flammæ, volat ater ad æthera fumus,
Phœbeumque iubar piceâ caligine velat.
Quorum vbi terrificus Iudæi Regis ad aures.
Rumor ijt, non ille ſui, diſcrimine tanto,
Immemor, auditos infracto pectore caſus
Excipit: vtque mari ſolers Nauclerus in alto,
Æolus iratus laxat cùm frena procellis,
Vectorum intrepido firmat præcordia vultu,
Et rabiem electâ tumidi ſalis arte coërcet;
Sic præſens geſtuque Saul, verbiſq̃ periclum
Imminuens, mœſtum populi lenire timorem
Nititur, atq̃ animos accendere Martis amore.

O Socij, virtus, inquit, vos pristina quando
Deseruit? quò fulta Deo fiducia rebus
Cessit in aduersis? an iam robusta Tonantis
Dextra minus, quàm cùm gremiũ pandente profundo,
Niliacas acies in se redeuntibus vndis Exod. c. 14.
Obruit, Ægyptum rubro quà gurgite Nereus
Alluit; & gemmis radiantes voluit arenas?
Quàm cùm potus vbi vasta defecit eremo, Num. c. 20.
Elicuit fluidos ictâ de rupe liquores?
Quàm cùm Solis iter sistens, Lunaq́ laborem Ios. c. 10.
Strauit Amorrhæos inopinâ grandine Reges?
Non ita, robur idem est, eademq́ potentia dextræ
Omnipotentis heri, vestros quæ destruet hostes,
More suo, modo pro clypeis, pro fortibus hastis,
Æthereo freti munimine, in arma ruatis.
" Quippe solutus vti clauo suspenditur arcus,
" Impositum neruo, quò post lunatus in auras
" Fortius expellat iaculum: sic Rector Olympi
" Sustinet ad tempus, toleratq́ impunè nocentem,
" Fulmineo quo deinde reum violentior ictu
Contundat, pœnaq́ue moram grauitate rependat.
Quapropter reuocate animos, nitiq́ue supernis
Discite præsidijs, nostrum victoria Martem
Certa manet, dextris tantùm pugnacibus arma,
Arma viri capite, & ferro defendite causam.
Vix ea fatus erat, pulsâ formidine cuncti

Bella vno ore fremunt, & clades cladibus ardent,
Funera funeribus, flammasque rependere flammis.
Pars pugnare pedes, pars quadrupedantibus altis,
Falciferis aut vecta rotis perrumpere turmas
Allophylas animosa parat, furor omnibus vnus,
Vnaque pro patrio moriendi rure voluntas.
Et iam conspicui cuneis hostilibus ibant
Isacidæ, & strictis ruituri in prælia telis,
Vndique sublato cælum clamore replebant;
Cum subitò magnâ Procerum stipante cateruâ
E castris Golias campo procedit aperto
Turbidus, horribiles gestans in casside cristas
Pennicomâ, septusque humeros thorace trilici.
Quantus Oreb, quantusve Abarim, vel quantus odoris
Quùm fremit arboribus Libanus, gaudensq; virenti
Vertice, frondiferum superis caput inserit auris:
Talis vbi toruo Iudaica lumine signa
Prospexit, validam quatiens Gethæius hastam.
Quò ruitis verpi? quæve inconsulta libido
Bellandi? quis cæcus, ait, vos impetus aufert!
Quid fragor iste virûm? quid pila minantia pugnam,
Raucaq; ferali portendunt cornua bombo?
Illa quidem nostras in vos violentiùs iras
Exacuunt, vestram nequeunt auertere cladem.
Namque vt me fileam, celso qui sidera pulso
Vertice, qui solus vestris occurrere turmis,

Atque

Atque ipſos auſim Superos inuadere cælo,
Tot me vulnificis armati falcibus axes,
Tot peditumque, equitumque globi, tot fortia ſtipant
Agmina, vt æquoreos fluctus, bacchantibus Euris,
Æthereaſque faces citius, nemorumque virentes
Vere nouo liceat numero comprendere frondes,
Armorum, certamque virûm quàm dicere ſummam.
Quapropter ſtolido vani conaminis auſu
Inſtantem vobis ne maturate ruinam,
O miſeri: flexo potius quin poplite pacem
Procidui, & vitam paßis expoſcite palmis.
Vel ſi tantus amor Martis, ſi tanta cupido
Triſte iugum patriæ pugnaci auertere dextrâ;
Prodeat è vobis, animus cui ſuppetat, ad me
Huc aliquis, qui cum, reliquis ceſſantibus, vno
Congrediar, quem contigerit ſiſternere letho,
Submittet Domino collum Iudæa Philiſtæ
Sin (quod Dî renuant) caput hoc demiſerit Orco;
Philiſtes Domino collum ſubmittet Iudæ.
Dixit, & ingenti repetens tentoria paſſu
Clamorem immenſum tollit, quo territus aër
Ingemuit, terræque caui tremuere receſſus.
Extemplò Abramidis horreſcunt frigore membra,
Arrectique rigent crines, vocisq; meatum
Faucibus in mutis ſiſtit pauor: ipſe Saulus
Obtutu tacito ſtat, humoque immobilis hæret.

At puer interea Dauid senioris Iëſſes
Natorum minimus, fratres dum caſtra ſequuntur,
Inque armis vigilant, paſcentes rure capellas,
Lanigerosq; greges tenui mulcebat auenâ,
Vrbis vbi Bethles ſtant acceptiſsima cælo
Mænia virginei dia incunabula partus,
Quem pater inter oues redeuntem aggreſſus ab agro:
Nate, decem panes iſtos, ephique polentæ
Fratribus, & totidem pingui de lacte Tribuno
Caſeolos, ſimul atque eoo craſtina fluctu
Exoriens croceos promet matuta capillos
Ferre para, & quæ ſit belli fortuna referre.
Dixerat. Iſaides genitoris iuſſa capeſſens,
Phoſphorus vt primum Phœbeo præuius axi
Nocturnas pepulit tenebras, ceruice ſubacta
Tollit onus, nitensq; pedo, veſtigia firmat.
Iamque propinquabat caſtris, vallogq; ſubibat,
Quum ſubitò clamorque virûm, clangorque tubarum,
Armorumque fragor non expectatus inhorret.
Territus Iſaides arrectis auribus adſtat,
Attonitoque omnes percurrrens lumine partes,
Ecce procul nigro glomerari puluere nubem
Cernit, & Hebræas Terebinthi in valle cohortes
Cum Philiſtæis initâ concurrere pugnâ.
Protinus è feſſo deponit pondera dorſo,
Deque viris faſces illic ſeruantibus vni,

De-

Depositum committit onus, gressúque citato
Bellantes acies inter, sæuosque tumultus
Aggreditur fratres, impertiturque salute.
Cæperat aduentus causas mandata parentis
Dicere, cùm subitò vastâ se mole Gethæus
Offert more suo tumidus, vocemq; tremendam
Intendens, poscit, secum qui certet, Apellam.
Ilicèt errantes trepidant ceu montibus agni,
Improuisus vbi cæco lupus exilit antro,
Præcipitique fugâ latebras, ac tuta capessunt:
Sic tetrico aspectu Goliæ turbatus Iâcob
Reijcit arma procul, volucrique fugatior aura
Castra petit, seséque tremens post valla recondit.
Isaidem solum, nec formidabilis horror
Armorum, sæui nec terrent grandia monstri
» *Membra, licèt puerum: sed scilicet omnia virtus*
» *Supplet, & excelso nihil insuperabile cordi est.*
Hic postquam socios turpi formidine pugnam
Detrectare videt; sortem miseratus acerbam
Stemmatis Isacij: quid vos à tramite recto
Indecores detorquet? ait: quis inania pulsat
Corda pauor? quo prisca animi constantia, quò se
Proripuit duris virtus exercita rebus?
Tantáne vos generis cepere obliuia vestri,
Isacidæ? tantúsne animos pietatis auitæ
In patriam, inque Deum, subit contemptus, vt istum

In-

Incircumcisum tam diris nomen I'HOVÆ
Scindentem opprobrijs, sic ferre impunè queatis?
Quin aliquis, præsens cui fido in pectore robur,
Et validæ forti pollent in corpore vires,
Prodeat, & ferro probrum commune refellat.
Si nemo est, pugnamque omnes vno ore recusant;
Ipse puer quamuis, quamuis vastissimus ille est,
Congrediar: vos quæ sperem mihi præmia victor,
Dicite, certa feret quoniam sibi præmia victor.
Qualia cum syluis horrens insibilat Eurus,
Murmura dant syluæ: tumidus vel qualia Nereus
Murmura dat, Nerei si quis procul audiat vndas:
Tale sonat populus, pueríque virilia corda
Suspiciens, meritis certatim laudibus effert.
Præcipuè senio grauis & virtutibus Abner,
Sublatis in cœlum oculis: Rex ætheris, inquit,
Astriferi, cuius semper sub numine Iudæ est,
Non tamen omninò genus infelicis Iâcob
Extirpare paras, rebus largitus in arctis,
Tanti animi Iuuenem, diram quo vindice perdas
Progeniem, & nostro præsens medeare labori.
Sic memorans, auidis puerum complexibus heros
Implicat, & tepidis irrorat fletibus ora.
Quæ verò, quæ digna puer tàm fortibus ausis,
Dona dari tibi posse rear? pulcherrima primùm
Ipse poli tribuet Rector: tùm cætera reddet

Rex

Rex Isaci actutum, qui ius immune tributi,
Ingentes & opes, atque ipsam denique natam
Victori sociam thalami donabit habendam.
Sic senior: contra Iesses sic filius orsus.
Grandia, quæ Goliam domituro pacta recenses,
Præmia sunt (fateor) nec tanto indigna periclo:
Non tamen illa mouent, neque me regalia tangunt
Munera, quem superi reuerentia sola parentis,
Sola salus patriæ, promissa in prælia trudunt.
Ipse Deus, cuius causâ, quóque auspice pugnam
Aggredior, solus merces mea; cuius honores
Incolumes, legesq; pias, ritusque sacrorum
Crudeli nunquam dubitabo morte pacisci.
Talia dicentem, secum lætissimus Abner
Ad Regem abducit. Solio Rex fultus eburno,
Cumque ipso primi Satrapæ, delectaq; pubes
Consilium trepidis regni de rebus habebant:
Quid facerent, vel quem Goliæ feralibus armis
Obijcerent. postquam coram data copia fandi
Ingressis, placido cœpit sic pectore Princeps
Militiæ: nempe ergo ratum est, Rex inclyte, quod te
Rebus in angustis solitum memorare recordor,
„ *Cæleste auxilium nunquam mortalibus esse*
„ *Præsto magis, quàm tunc, cum deplorata videntur*
„ *Omnia, nec certam spes est vitare ruinam.*
„ *Quin sumptis quandoque Deum sæuire flagellis,*

" *Diuersisq; suos (fuluum velut ignibus aurum)*
" *Explorare malis, non vt radicitus illos*
" *Euertat : (quis enim verus sua pignora mentem*
" *Inducat delere pater ?) sed vt æquoris actos*
" *Fluctibus horrisoni, spreto Cynosuridos astro,*
" *Mortaliq́ue ope neglectâ, confidere cælo,*
" *E cælóque suam doceat sperare salutem.*
Hic puer auxilio nobis (sic quippe putandum est)
Sedibus è superis missus, decernere ferro
Cum Goliâ se velle refert, vltriceq; dextrâ
Labentis patriæ commune refellere probrum.
Talia narrantem cupidis Rex auribus haurit
Attonitus, puerumq́ue amplectens ; veráne, fili,
Veráne sunt, de te senior quæ nuntiat Abner ?
Atq́ue animi tantum tenero sub pectore robur,
Et tenero credam tantas in corpore vires
Posse tegi ? sic Rex, contra sic natus Iëssé :
De seruo quæcunque tuo tibi Nerius heros
Rettulit, ó Princeps, verißima rettulit, inquit :
Namq; mihi cum Gethæo concurrere monstro
Est animus, læsumq́ue Dei viuentis honorem
Vlcisci dextrâ, vel certæ occumbere morti.
Tum Saúlus : mors certa tibi, non laurea pugnæ
Præmium erit : non hæc, tanto quæ suppetat auso,
Dextra tibi est, non hæc ætas (ne credulus erres,
Atque errore tuo pereas) huic debita palmæ.

Hic

Hic puer: haud dubium est, quin robore corporis impar
Sim Goliæ: verum sic cedo & viribus vrso,
Non tamen idcirco vicit me viribus vrsus.
Nuper ego dum lanigeras per deuia rura
Obseruo genitoris oues, tenuiqúe cicutâ
Carmina gramineo meditor resupinus in antro;
Ecce cauernosis prorumpens rupibus vrsus
Improuisus adest: pecudemq́ ex omnibus vnam
Dentibus arreptam rapidus discerpere coràm
Comparat: accurro, sæuumqúe interritus hostem
Aggrediens, prædam patulo spumantis ab ore
Viuam, atque illæsam excutio, mentoqúe prehensum
Insuper, & frustra obluctantem funere multo.
Hunc igitur velut haud æquis mihi viribus vrsum
Debellare dedit, cuius victoria donum est:
Sic quoque nunc dabit, vt Golias haud viribus æquis
More feræ prostratus, humum premat ore cruento
Ceu fera, quandoquidem fretus virtute lacerti,
Cælum, ipsumq́ Deum petulanti voce lacessit:
Dum mihi diffidens ipsi, spretoqúe caduci
Corporis auxilio, spem totam in numine summi
Præsidioqúe Dei figo, memetq́ resigno.
Ille mei purè cognoscens intima cordis
Consilia, & quæ me ratio compellat ad arma,
Incolumem veluti nuper seruauit ab vrso:
Sic pariter saluum Goliâ præstabit ab hoste.

Dixerat Isaides. cuncti diuersa fremebant
Assensu vario Proceres: ceu gurgite clauso
Vnda fremit, rapidos amnes cum saxa morantur.
Pars fieri non posse putant, quæ natus Iesse
Facta refert, puerumq; palam quasi ficta locutum
Corripiunt: contrà, quorum sententia menti
Sanior, immensum contendunt omnia nutu
„ *Posse Deum, & subitò quicquid iubet esse peractum.*
Surgit ad hos Ionathas, dextrâq; silentia poscens,
Cuncta, inquit, quæ facta puer modò rettulit, esse
„ *Vera reor, sint mira licet: sed mira patrare*
„ *Gaudet, & exemplis hominem superantibus ad se*
„ *Erigere humanos animos diuina potestas.*
Antè quid haud multos ea per me gesserit annos,
l. 1. Reg. c. 14. *Armigerumque meum, tua cum vexilla secuti*
Sexcenti tantum Isacidæ, sub tegmine mali
Puniceæ, extremâ Gabaæ quæ frondet in orâ,
Tecum agerent, te scire, pater, vos scire, Dynastæ,
Autumo. bis denos an non tum circiter hostes
Ipse, puerque meus stricto percussimus ense?
An non & reliquos, qui tum vel mænibus essent
Præsidio, vel se tutos post valla tenerent
In castris, vel palantes fumantibus agris
Prædam agerẽt, tantus trepidos pauor vrsit, vt omnes
Versa fugæ iactis in terram turpiter armis
Terga darent? Ergo iuuenum qui nempe duorum

Tum

Tum potuit virtute decem bis sternere letho,
Cur huius nuper pueri conatibus idem
Non vrsi potuit ruptas elidere fauces!
Cur idem nunc per puerum non poßit eundem,
Si velit, immanem vitâ spoliare Gigantem?
„ *Viribus humanis non idem semper & vnus*
„ *Est vigor: incerti varijs sed casibus æui*
„ *Subiectum, nunc morbus atrox, nunc tristis egestas,*
„ *Debile nunc senium, nunc mœror pectoris haurit*
„ *Anxius: at dextræ robur sublime supernæ*
„ *Semper idem est, minuíque nequit, neque crescere nouit*
„ *Immensum, semperque statu perdurat eodem.*
Hic finis fandi. Solio tum Saûlus ab alto
Se leuat, & medium Proceres ad limina ducunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf